



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm XXVII. Cùm causam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](#)

Innoc. hic num. 2. quem sequitur Abb. n. 12.
Guido Papa in decisi Gratianopol. 254 quod
confessio facta ab aliquo in vno iudicio, ad-
duci possit tanguam probatio ad conuincen-
dum illum in alio iudicio; licet secus se res
habeat in testimonii, atque instrumentis
productis: quia propria confessio omnem
probationem superat, nullumque reo subter-
fugium relinquit, arg. c. pertuas 10. de probat.

CAPITVLVM XXVII.

Cùm causam.

PARAPHRASIS.

Vacante Prioratu ecclesie S. Petri Lunacen-
sis, Canonici regulares eiusdem ecclesie
slegerunt bonum Presbyterum non pro-
fessum: Huic electioni opposuit se Bru-
nus canonicus, & alius quidam; sed reli-
qui electionem suam defendebant allega-
tiones consuetudinis, quod continua per
multa tempora Prior eius ecclesiae fuisse
regulam non professus. Hac controuersia
ad Innoc. III. Papam delata, respondit is,
scriptum esse Deuteron. cap. 22. num. 10.
Non arbitris in bove simul & asino, id est,
(ut in Concil. Hispalensi explicatur, rela-
tio in c. in noua 22. causa 16. q. 7.) homines
diuersae professionis non sociabiles:
Neque debet quisquam vestem induere de
lana linoq; contextam, id est, homines di-
uersi habitus sociari non debent. Ideo man-
dat irritam, sive irritam declarari Presby-
teri electionem, insuper compelli ipsum,
aliisque, qui in Monasterio professionem
non ediderunt, ut vel S. Augustini regu-
lam profiteantur & seruent, vel ab ecclesia
S. Petri discedant.

SUMMARIUM.

1. Non valet consuetudo, ut non professus,
vel alterius Ordinis, aut habitus pro-
fessus in Prælatum regularem eligatur;
& est electio irrita.
2. Tamen eligitur ad ecclesiam regula-
rem, si Cathedralis sit clericus secularis;

ris, aut Ordinis nouitius.

2. Non valet etiam consuetudo, ut non pro-
fessi, vel alium Ordinem professi in re-
gulari aliqua ecclesia collegialiter vi-
uant.

NO T A N D V M I. Non valet consuetu-
do, ut non professus, vel alterius Ordini-
nis aut habitus professus in Prælatum regu-
larerem eligatur: Et est ipso iure irrita electio
iuxta c. nullus 28. hoc tit. in 6. & Clement. 1.
cod. tit. Ratio dari debet, quia huiusmodi
consuetudo ecclesiis noxia censetur: nam co-
herere & bene coniungi non possunt, quibus
studia & vota diuersa sunt, cit. c. in noua. Id
tamen peculiare est, quod ad ecclesiam regu-
larē, si Cathedralis sit clericus secularis, aut
Ordinis Nouitius recte eligatur, cit. c. nul-
lus, & c. innotuit 20. hoc tit. Idque propter
excellentiam dignitatis episcopaloris, quæ re-
gularis professionis defectum supplet, vti Gl.
indicit in c. quod Dei timorem 5. ver. regi-
men, de statu Monachorum.

NO T A N D V M II. Non valet etiam con-
suetudo, ut non professi, vel alium Ordinem
professi in regulari aliqua ecclesia collegialiter
viuant: ob eandem rationem, quia con-
suetudo huiusmodi ecclesiis damnoſa, & ir-
rationabilis censetur, prout habetur in suprā
cit. Clem. 1. *Rationi non congruit, ut homi-
nes disparis professionis, vel habitus simul in*
eisdem monasteriis socientur. Nihil tamen
obstat, quin in eodem Monasterio, siue ecclē-
sia regulari diuisi Conventus sint, vpus v. g.
clericorum secularium, & alter regularium,
sub diuersis Præpositis constituti, vti Gl. in
cit. Clem. ver. Monasteriis, annotauit.

CAPITVLUM XXVIII.

Quod sicut.

PARAPHRASIS.

Post electum, confirmatum, & consecratum
Archiepiscopum Armacanum, sex ei ob-
iecta; Innocentio III. Papæ proposita fue-
runt, ad depositionem eius obtainendam;
Tria contra electionem, & alia tria contra
per-

Q. 9